

relicta, prius quæ fuit flaccida jam valde tumida appa-
rebit.

DEMONSTRATIO XXV.

Animalia a nimia aeris interni, qui in san-
guine & humoribus est, expansione
confestim concidunt & moriuntur.

Experimenta.

1. Aves, mures includantur vitro & factis duabus
suctionibus, miris torquentur agitationibus, convulsio-
nibus, intumescunt oculi, majores fiunt & extra orbi-
tam prominent, & mox animalia moriuntur.

2, Idem experimentum potest fieri cum canibus,
felibus, quæ animalia autem diutius subsistunt in vacuo
quam ipsa volatilia. Curiosum est, quando jam animam
exhalare volunt, & aer provide rursus applicatur
mox reviviscere; quodocunque autem nullus am-
plius in ipsis percipitur motus, nunquam restitutio ad
vitam aeris admisione succedit.

3. Animalia aquatica, ut pisces, ranæ, cancri, aeris
detractione difficillime interficiuntur, & aspectu jucun-
dum est, quomodo pisces in aqua, aere subtracto, mox
in altum aquæ evehantur, mox rursus subsideant si
intermittamus aeris evocationem.

4. Ex vitreo globo aer omnis per antliam expella-
tur, postea avis rostro suo provide orificio globi applice-
tur; tunc epistomio aperto conspiciamus avem adhærere
vitro & in momento præmissis quibusdam subsultatio-
nibus mori, & longe citius quam in campana vacua.
Quod si thorax horum animalium aperitur, videmus
pulmones ita compressos & coarctatos, ut sub minima
mole appareant.

DE-